

Sententia, Legatos ad Bohemum mittendos. Sed cum indigna in Cæsarem Imperijque Principes probra pro-
sponso tulissent, omnium consensu decreto bello, ad id iusta auxilia Cæsari Rodolpho promissa. Is Ladislaum
Hungariæ Regem sibi conciliat, Bohemo ob erepta loca inimicum, qui Cæsari xx Equitum millia auxilio misit,
quibus, cum suas Cæsar Imperijque conjunxisset vires, maximis coactis copijs in Austriam contendit. Prodit
contra Ottocarus non minoribus e Bohemis, Brandeburgijs & Bavaris (quorum Principes ob certas causas Cæ-
sari Rodolpho infestierant) Silesijs, Moravis, Austriæ ac Saxoniarum aliquot Civitatibus, adductis copijs. Sed de
prælij eventu, Cæsaris prudentiam ac vim veritus, dubitans, intercessione duorum hinc inde Antistitum, pacem
cum eo facit restituta Austria, dictoque de Bohemia catervisque ejus Provincijs Cæsari Sacramento: in genua dum
hæc fiunt ante Cæsarem subsedit, inspectante Bohemorum, Hungarorum, ac Germanorum (labente in quatu-
or Mundi Partes artificioso Cæsaris tabernaculo, unius tantum clavi loco motione) exercitu. Qua de re, ut in-
digna, ab uxore hominibusque turbulentis reprehensus, violata pace, cum ingenti exercitu, Austriam invadit.
Exit contra Cæsar Rodolphus, Germanorum copijs, Hungarorumque auxilijs stipatus, ac haud procul opido
Marchecco, cum Ottocaro, congressus, eum superat occiditque; deinde infesto exercitu Bohemiam invadens:
ferro ac igne adolescentem *Wenceslaum*, defuncti Ottocari filium, petere pacem coegit, legesque pro sua Imperij-
que dignitate dat. Filium vero suum Albertum natu maximum Austriæ præficit; ac paullo post, e communi
Principum Imperij sententia Ducem Austriæ & Stiriarum eum renunciat. Stiria distinguitur in *Superiorem*, ubi Mu-
ræ fluvij divertigium, & *Inferiorem* juxta Dravi & Muræ confluentes, qua Pannoniæ Secundæ seu Hungariæ prox-
ima est, unde is locus *am Hungarischen* dicitur. Vrbes Stiriarum sunt famatæ, *Brugæ* ad Muram, ac ibidem *Gratzium*, *Vi-*
ana, *Voytspurg* vulgo ad Kaynacham fluvium: *Wolfspergum* ad Lavandam fluvium: *Marchpurgum* Metropolitana ad
Dravi sinistram ripam, atque ex eadem parte *Petovia* seu *Colonia Petovia*, ubi Legiones Romanæ fixerunt sedem.
Trans flumen *Warasimum*, *Castra variaria* vocant, *Rackelspurgum* Muræ fluminis sinistra ripæ adjacet, ubi Savaria
regio initium habet. In hac etiam *Cilia* est ad Savi ripam, urbs uti apparet ex vestigijs, antiqua. Nam inscriptio-
nes in ea plures nominum Rom. apparent. Opidani a Sulla conditam dicunt, vocarique *Sullacem* nulla tamen
auctoritate quam sciam, inquit Volaterranus. Nam forte ea fuerit aut ex ejus ruinis, quam Ptol. non longe ab hac
ponit, quæ eidem, Ant. & Plin. *κείλη Celia*. *Celeiani* Municipij mentio etiam in Epigrammate antiquo, ejus loci.
Sed & Coloniam facit Onuphrius. Ex antiquo marmore *C. L. C. EL.* pro Claudia Celia, in marmoribus legi, docet
M. Velferus. Huic Vrbi superioribus annis præfuit Comes Fridericus, qui cum esset in libidinem pronissimus &
olim Veronicæ Concubinæ incensus amore, legitimum Conjugem ex Comitibus Croatiæ natam manu sua in-
teremisset, Concubinam vero Pater Comitum in profluentem demersisset, uxores passim Filius maritis abstulit, puel-
larum greges in Palatium rapuit, Provinciales pro Mancipijs habuit, Ecclesiarum bona diripuit: monetæ adultera-
tores, Veneficos, Ariolos, Necromanticos undique ad se concivit. Idem (Volaterrano referente) quum sub Nico-
lao V Romam ad Iubileum venisset, nec melior propterea factus esset, rogatus quid ei profectio contulisset, ut non
prioris sim oblitus artis inquit: Nam & Sutor meus ad crepidas item redijt, qui mecum iter fecerat. Huic mortuo
Vlricus Filius successit similis ingenio patri. Fluvij rigatur Stiria, *Dravo*, *Lavanda*, *Sackan*, *Sulmo*, *Raynacho*, *Mura*,
Martza, *Arrabone*, *Veystritz*, *Laufnitio*, ac infinitis propemodum Torrentibus ac rivulis, qui omnes tandem Danu-
bio miscuntur. Montium hic numerus non est, quare singulorum nomina adscribere vix licet, omnes pene generali
nomine *Norice Alpes* dicuntur. Vnde Alpium adhuc præ se ferunt nomina, cujusmodi sunt *Rauch Alben*, *Sub alben*,
Saw Alben, *Schwanberger Alben*. In Confinijs Austriæ, Carinthiæ, & Stiriarum *Taurus Mons* est: Muræ fluvio *Gefacus*
Mons imminet, nunc vulgo *Der Schockel* vocatur, & *Sattli*, *Mansenperg*, *Weinsperg*, juxta Salzim fluvium ducitur *Ina*
Sawrusel, hoc est *Os porcinum*, *Deiselfteig*, i. *Diaboli præcipitium*, Infra Muram dicitur, in *Gaisfal*, *Stainperg*, & *Rainacher*
Alben: Paullo inferius sunt, *Kreiczpergus*, & *Hertzpergus* Montes, & versus Ortum *Radel* & *Plaitzberg*. Ultra Dravum
versus Ortum Meridiem *Claudius Mons* nunc *Dracimperg* dicitur. Refert Vadianus, quod superioribus annis Viennæ
Austriæ constans fama increbuerit, ardere in Stiria cœpisse Montem, quo plectus Maximilianus Cæsar Augustus,
nuncijs ad inquirendum missis ita esse ut ferebatur compererit, quod miraculi loco hæc recensere libuit. Hæc vero
accidisse verisimile est circa annum Christi 1510xx, quo tempore Vadianus hæc videtur scripsisse. Prædicti vero
Montes passim, sparsimque Silvis vestiuntur. *Stirij* agrestes vulgo populi sunt & strumosi, adeo quidem ingenti stru-
ma nonnulli, ut ipsi loquelam impediatur, & mulier lactans illam post tergum perinde atque saccum rejiciat (si fama
vera est) ne infanti impedimento sit. Memoria prodit Ortelius se Frisachij dum anno 1510lviii Vienna Venetias
proficiscebatur, non sine admiratione hominem contemplatum, cui mentum ab auribus incipiens, humeros latitu-
dine fere æquabat, & ad pectus usque propendebat. Strumæ causam Aquæ Aerique, quibus vescuntur Incolæ, tri-
buunt. Stiriani cultu & sermone Germani sunt præter Dravi adcolas, qui Illyrica utuntur lingua.

VULGO

STIRMARCK.

PER

FREDERICVM

BARBAROSSAM

factus est Ducatus.

In eo plures sunt Comitatus, inter quos *VVarasdin*, ad *Dravum*
fluvium & *Lebnau*, ad *Muram* fluvium.

Meridiani positi sunt pro ratione Paralleli 47 10 ad Circulum maximum.



Aggredimur jam *Stiriam* vulgo *Stirmarck*, quam a Tauro dictam esse vix dubium est, cui *Regio* &
opinionem subscribit etiam *Ægidius Tschudus*, ubi refert ex Plinio, Catonem Lepontios *unde dicta*,
& Sallastos Tauriscæ gentis asseverare: (inquit enim:) Fuerunt autem Taurisci isti Gal-
li, quorum natio in antiquissimis Gallorum prælijs Sedem collocavit ultra Alpes, de quibus
Polybius lib. 11 de bello Gallico sic scribit: in Alpibus ab utroque latere montosa habi-
tant ad eam partem quæ versus Rhodanum & Septemtrionem spectat, Galli qui *Trans-*
Alpini appellantur, ad eam vero quæ campis imminet *Taurisci*, *Agones* & alia pleraque
Barbarorum genera, a quibus *Trans-Alpini* non genere, sed differentia loci differunt:
ideo *Trans-Alpini* dicti, quod trans Montes colant &c. *Isti Taurisci* postea emigrantes,
alia quæsierunt loca, occupaveruntque regionem quæ modo Comitatus *Goertz* ap-
pellatur, ac deinde profecti sunt in *Stiriam*, nomen suum illi terræ relinquentes. Significat enim Taurus Germa-
nis *Stier*. Fuderunt se quoque in Austriam & Hungariam, de qua re hic non est locus differendi. Hæc ille, *Stiriam*
vero *Valeriam* olim dictam fuisse affirmant nonnulli, sicque appellatam fuisse in honorem *Valeria* Diocletiani
Filiae, quemadmodum Marcellinus memoriæ prodidit: Et Aurelius Victor de Cæsaribus. Hanc *Prevalitanam*
cognominat libell. Provinciarum a Schoonhovio editus. Hujus meminit quoque Iornandes. Volaterranus vero *Ia-*
pidiam dictam putat: Sic enim scribit lib. viii Geograph. Proxima huic *Iapidia*, quam *Stiriam* nunc vocant, li-
cet Pius Pontifex eam *Valeriam* putat: ego vero ex descriptione Rufi, *Valeriam* potius *Croatiam* dixerim, inter
Danubium & Dravum. Hactenus ille. Si prior opinio vera est, *Quados* aliquando hæc loca tenuisse, ex eo patet,
quod Sextus Rufus scribit sub Iulio, *Marcomannos* & *Quados* de locis *Valeria* quæ sunt inter Danubium & Dravum
fluvium pulsos esse. Est vero & hæc regio Norici Mediterranei pars, quemadmodum & Carinthia, & Illyrici pro-
vincijs adnumeranda. Germaniæ quoque posterius accessit. Conregionales Stirijs sunt ad Ortum quidem Hun-
gari: ad Meridiem Carniola Carnique, ad Occidentem Carinthia: qua Septemtrio est, Austria. Terra undique
Montibus obsita, præterquam qua Orientem respicit Solem, ubi spaciola est planities. De ejus fertilitate parum
polliceri ausim. Regio quidem universa Mineris turget, verum Principum incuria parcius foditur. Argentarias
Fodinas habet in Alpibus quas *Schwenberger Alben* ipsi nuncupant. Ferrarias juxta Anisum Fluvium. Salis quo-
que ingens copia hic coquitur, quem in alias Regiones exportant, ac lucrum ingens recipiunt. *Marchionatus* o-
lim Pannoniæ primæ erat, unde *Stiria* Marchia dicta fuit. *Marca* autem Limitem sonat: per Limitaneum itaque
Comitem administrabatur, uti Lazius ostendit. Deinceps Ducatus dignitatem adepta, Austrijs Ducibus accessit,
quibus etiamnum parer. Ultimus Marchio dictus fuit *Ottocarus* cujus Filiam duxit uxorem *Lupoldus* Dux Austriæ,
qui consensu Imperatoris factus est Dux Stiriarum. Deinde successione illa rursus extincta, miserunt Provinciales
quidam in Bavariam, alij in Hungariam, cujus Regni Moderator misit Filium suum: sed cum ille viveret juxta
mores suos, intolerabilisque esset Stirijs, exactus fuit, & vocatus *Ottocarus* Filius Regis Bohemiæ, qui usurpave-
rat Ducatum Austriæ, obtinueratque anno CHRISTI c. cclxix Carinthiam, sed diu conservare non po-
ruit. Nam cum eo arrogantia provectus esset, ut contempta Imperij Majestate de Clientelarijs Bohemiæ bene-
ficijs Cæsari Rudolpho Habsburgico Sacramentum dicere noller, hic ad Augustum Vindelicorum, Germaniæ
Principum conventum indicit, citaturque gravissimis sub poenis *Ottocarus*, uti se sistat, ac de injuste occupatis
Imperij provincijs, neglectaque ejus Majestate rationem reddat. Ridet citationem *Ottocarus*, neminemque ad
Comitia qui pro se respondeat, mittit. Interim Legati ab Austriæ Ordinibus missi Augustam ad Cæsarem Prin-
cipumque conventum perveniunt, & apud Cæsarem Principesque gravissime de injuria crudelitatemque *Ottocari*
conquesti docent, eum iniqui tituli jure Austriæ se insinuasse: Margaritam legitimam uxorem, Austriæ Hæredem
superinducta pellice repudiassse, ac tandem veneno sustulisse; Agnetem Badensem, Filiamque ejus Elizabetham
cum Fratre Henrico, legitima Austriæ Hereditate spoliassse: Optimatesque complures in Vrbe Vienna crudeliter
trucidassse, ac sapissime in innocentem populum sævisse: Austriam, Stiriam, Carniolam, ac Windorum Marchiam
Imperij beneficia, cum Bela Hungariæ Rege clam esse partitum, ac ut exteræ Nationis auxilio, Austriam retinere,
Populumque duro jugo premere posset, ab Imperio ac Cæsare defecisse &c. Decernitur communi Principum
Sententia

